

2835

## C O D I C E S

2836

## DCCLXXI.

<sup>615</sup> Codex chartaceus lat. boh. Sec. XV. Folior. 256. 4. commode perscriptus et fortassis olim saepe memorati *Wenc. Rossii* continet: I. *Sermones XXXV.* de Sacramento Altaris, quorum primus in illud *Prov. 24. Comede filii mel quod bonum est &c.* incipit: *Salomon loquitur ad litteram, loquitur de terra promissionis &c.* Breves sunt, et Sacramentum sub utraque Specie sumendum docent.

II. fol. 49. initium ducunt *Sermones XLVII.* de Passione Domini, quorum primus in illud *Psal. 6. Turbatus est a furore oculus meus,* ita orditur: *Notandum est, quod furor et ira dei patris permaxima erat super genus humanum &c.* Neque hi praecedentibus prolixiores sunt, sed glossis *bobemicis* passim interspergantur.

III. fol. 145. *Sermones* miscelli de *Moribus LXXIV.* quorum primus in illud *Eccli. 23. Nihil melius quam timor dei &c.* incipit: *Homines istis temporibus periculosis auscultant diligenter ut aliquid boni audiant &c.* Breves et ipsi et phrasi *bohemica* inculcati.

IV. fol. 227. Tractatus pro *Transubstantiatione* contra *Joh. Wicleffum.* Initium: *Quia istis nouissimis temporibusque periculosis pene circa finem mundi hoc in regno videlicet Boemie cristianissimo errores plurimi atque nocentissimi circa sacrosancte diuinissimum eukaristie sacramentum proch dolor pulularunt &c.* Quatuor sibi

sumit Autor: *Primum recitabuntur opiniones seu posiciones, que circumstant hoc venerabile sacramentum. Secundum erit de transubstantiatione, quid videlicet nomine transubstantiationis doctores intelligant. Tercium erit de hac propositione demonstratiua, Hoc est corpus meum, quis scilicet intellectus sit eius &c. Quarto principaliter adducentur testimonia doctorum Sanctorum ecclesieque Canonum pro vera fide &c.* Calci adscriptus est annus 1453.

V. fol. 243. *Incipit tractatus Beati Augustini de contemptu mundi ad clericos.* Spurii hujus jam *Codd.* pluribus relati *Sermonis* initium est: *Audite fratres karissimi salutiferam patris nostri (al. mei, al. vestri) doctrinam &c.* Ad calcem annus 1453.

VI. fol. 245. p. 2. Tractatus imperfectus de tribus *Habitaculis*, qui insit: *Tria sunt sub omnipotentis dei manu habitacula summum ynum et medium. Quorum summum regnum celorum ynum infernus Medium mundus uocatur &c.* Autorem ignoro, ut jam dixi ad *Cod. XC.*

VII. fol. 250. Tractatus pro reali Christi in *Eucharistia* praesentia, ejusque sub utraque Specie perceptione, cujus initium: *Ihesus christus dominus et saluator suorumque donorum immensus largitor nobis miseris non nostris meritis exigentibus, sed sua immensa misericordia ipsum ad hoc cogente, cum fontem veritatis de comunione calicis etiam ad laicos non solum adultos sed et parvulos reser-*

2837

H O M I L E T I C I.

2838

serasset hocque donum mellissimum suis fidelibus plurimis contulisset, ut pro veritate sua predicta contra Regem Sigismundum regem pretensum ungarorum veritatis praefate inimicum usque ad mortem se exponerent agonizarent et decertarent et deo fauente aduersus ipsam bestiam bellum obtinerent &c. Ex acerbitate in Sigismundum colligas Tractatum hunc, qui totus in refutandis circa Eucharistiam erroribus est, intra annos 1420 — 35. elaboratum fuisse.

Membrana Codicem antierius ambiens partem Commentarii in *Eclogas Virgilianas* Sec. XIV. scripti exhibet; posterius ambiens Concessio est F. Bartholomaei Veneti Prioris Gen. Ord. Eremitar. S. Augustini, qua Albertum de Egra ejusque conjugem Claram participes facit omnium Meritorum praedicti Ordinis. Data *Herbipoli in generali capitulo Anno Domini MCCCLXXXI. decima die mensis Maii.*

DCCLXXII.

619 Codex chartaceus lat. boh. Sec. XV. Folior. nunc 379. 4. initio mulctatus fuit olim *Wenceslai Rossii* noti Sacerdotis *Bobemi* et complectitur *Sermones* sacros in diversa Textus Biblici Loca, insertis, aut margini adjectis *Glossis bohemicis*, additoque ad calcem Locorum praedictorum Indice, quibus omnibus immorari operae pretium non est, nisi quis in *Dictiones Bobemicas* adcuratius inquirere velit. Ceterum est, quod

miremur, tot olim *Codices mss.* in unius privati Sacerdotis *Scriptis* fuisse.

DCCLXXIII.

Codex chartaceus germ. Sec. <sup>144</sup> XVI. Folior. 265. f. continet XXIV. *Sermones Augustae Vindel.* per Triennium infra Octavam Festi Theophoriae ad populum habitos hoc Titulo: *Vier und zwaintzig schöner Predigen vom hailigen Sacrament des Altars welche zite drey vnder schidlichen Jahren in der Genaden wochen fürlich acht Durch den Hochglerten Herren Gregorium Rosepbum Tumprediger zue Augspurg geprediget sein wordenn.* Omnium horum Sermonum Thema est illud *Job. 6. Hic est panis qui de coelo descendit.* De Autore *Gregorio Rosessio S. J.* alumno, oratore aetate sua percelebri, et Ecclesiae Augustano vide, quae tradit *Ign. Agricola in Hist. Provinciae S. J. Germ. super. Aug. Vindel.* 1727. f. Obiit *Rosessius* a. 1623.

DCCLXXIV.

Codex chartaceus germ. Sec. <sup>227</sup> XVI. Folior. 78. f. continet *Sermones* duos *Augustae Vindel.* habitos in Templo *D. Joannis* prope Ecclesiam Cathedralam a *Gregorio Rosepbio S. J.* Sacerdote et Ecclesiae Cathedrali, in nocte, quae diem parasceves antecedit, et ipso parasceves die. Prioris initium est: *Souil guetter anratzung haben wir gottgeliebten Christen*